Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et movemur et sumus. Sed lux in tenebris lucet et tenebre eam non compre
henderunt. Tenebre autem sunt stulte mentes hominum prava cupiditate
atque infidelitate cecate. De incarnatione ubi ut participes eius possimus esse. .II.
Has ut curaret atque sanaret verbum per quod facta sunt omnia caro
factum est et habitavit in nobis. Illuminatio quippe nostra parti
cipatio verbi est, illius scilicet vite que lux est hominum. Huic autem partici
pationi prorsus inhabiles et minus idonei eramus propter inmundiciam pec
catorum. Mundandi ergo eramus. Porro iniquorum et superborum una munda
tio est sanguis iusti et humilitas dei, ut ad contemplandum deum quod natura
non sumus per eum mundaremur factum quod natura sumus et quod peccato non sumus.
Deus enim natura non sumus, homines natura sumus, iusti peccato non sumus. Deus itaque
factus homo iustus intercessit deo pro homine peccatore. Non enim congruit pec
cator iusto, sed congruit homini homo. Adiungens ergo nobis similitudi
nem humanitatis sue abstulit dissimilitudinem iniquitatis nostre,
et factus particeps mortalitatis nostre fecit participes divinitatis sue.
Merito quippe mors peccatoris veniens ex dampnationis necessitate
soluta est per mortem iusti venientem ex misericordie voluntate, dum simplum
eius congruit duplo nostro. Hec enim congruentia sive convenientia vel conve
nientia vel consonantia vel si quid commodius dicitur quod est unum ad duo in omni
compaginatione vel si melius dicitur coaptatione creature valet plurimum.
Hanc enim coaptationem sicut mihi nunc occurrit dicere volui quam greci
armoniam vocant. Neque nunc locus est ut ostendam quantum valeat conso
nantia simpli ad duplum, que maxime in nobis reperitur et sic nobis insita
naturaliter, a quo utique nisi ab eo qui nos creavit, ut nec imperiti possint eam
non sentire sive ipsi cantantes sive alios audientes. Per hanc quippe
voces acutiores gravioresque concordant, ita ut quisquis ab ea dissonu
erit non scientiam cuius expertes sunt plurimi sed ipsum sensum auditus nostri